

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14

IAC. SIMANCÆ
PACENSIS
EPISCOPI,

LIBER DISCEPTATIONVM:

IN QVO DE PRIMOGENITU-
niis Hispaniæ, ac potissimè de illo-
rum publicatione disputatur.



ANTVERPIÆ
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.

M. D. LXXV.

IAC. SIMANCAE
PACENSIS
EPISCOPI,

LIBER DISCEPTATIONVM:

IN QVO DE PRIMO GET-
niis Hispaniae, ac potissimum de illo-
rum publicatione disputatur.



ANTVERPIÆ
Ex officina Christophori Plantini,
Architypographi Regij.

M. D. LXXV.

L I B E R

D I S C E P T A-

T I O N V M.

C A P . I.

Vo iuris consulti admodum erudi-
ti contra capita quædam eo-
rum, quæ iam diu scripsi, tam in
libris de primogenitis Hispaniæ,
quam in institutionibus catholicis, non nul-
la scripsierunt, que, ut mihi quidem videtur,
facile refelli possunt: ideoq. breuiter quoad
fieri poterit, illis responderè conabor.

Impugnat sententiam nostram de con-
fiscatione maioratum prior eorum dicēs,
me à receptissima & indubitate sententia
recedere voluisse, potius zelo iustitiae, quæ
aliqua iuri ratione. quibus verbis tria vide-
tur asserere: vnuim, opinionem suam, con-
trariam nostram, receptissimam esse. alte-
rum, esse indubitatem. tertium, sententiam
meam nulla iuri ratione defendi.

Quibus ipse quoque pari breuitate re-
pondeo: primò, suam opinionem pauco-
rum auctorum esse, itaq. non esse receptissi-
mam. secundò, eam non esse indubitatem,
sed vel planè falsam, aut saltem plurimum
dubitacionis habere. tertio, fateor meze-

4 LIB. DISCEPTAT.

lum habuisse iustitiam, sed iustum & secundum scientiam; quemadmodum plurimis iuris rationibus perspicuum erit cuicunque legenti ea, quæ in secunda editione meorum institutionum iam diu scripseram; quæ quidem non vidit (vt appareat) qui contra me ista composuit.

C A P . I I .

D E I N D E ait, nunquam verum esse posse, ut delicta patris nocere soleant filii, in bonis non à patre, sed ab aliis delatis. respondeo, id verum esse, saltem in eo casu, quem ipse refert. sed cùm id quod ego scripsi, verissimum esse videatur, nunquam falsum esse poterit. quis enim nescit, nocere filiis parentum hæreses tam in successione bonorum, quam in aliis multis? c. vergentis. de hæreti. c. cùm secundum. eodem tit. li. 6.

Addit præterea , nunquam fisco tale ius
concessum fuisse, aut potuisse concedi, vt ob-
vnius delictum, bona alteri quæsita, vel de-
bita, auferantur. respondeo, si loquitur de
bonis iam quæsitis, vel purè & sine condi-
tione debitis, vera est eius propositio. Sed si
bona nondum plene quæsita sunt, nec sim-
pliciter debita , sed tantum nominati sunt
aliqui ad successionem post mortem alio-
rum, vt est in specie proposita ; tunc con-
fiscari poterit maioratus , quia nec est suc-
cessori

C A P. I I I.

cessori quæsitus , ne debitus quidē , nisi sub tacita conditione , si dominus & possessor catholicus semper sit , & ante mortem illius publicatus non fuerit maioratus . nec ius confiscandi conceditur propriè fisco , sed re- gibus est referuatum : fiscus autem eorum nomine in iudicio bona publicata perse- quitur.

C A P . I I I .

DE INDE ita scribit: Quinimo & si deliquisset idem, qui primogenitaram semel perfectè constituit, nullum sit ex eius culpa successori præiudicium: cum ea, quæ quis alienauit ante delictum, nunquam in confiscatione comprehendantur. Hæc ille.

Quibus verbis aliqua implicat, quæ indigent explicatione. primum enim planè sentit, non esse perfectè constitutam primogenituram (ut ipse vocat) antequam à constitutive alienata sit. quod quidem indignum est tanto iurisconsulto; quia perfectio maioratus, ex forma iustè seruata, non ex alienatione penderet.

Quod si putat confiscari non posse maioratum propter heresim constituentis post perfectam maioratus constitutionem, etiam ante alienationem; id non minus falsum esset. credo tamen eum dicere voluisse, non posse confiscari, postquam iam alienauerat, vel scripturam constitutionis tradiderat suc-

cessori, vel eius nomine se possidere maiorum dixerit, his enim casibus est irrevocabilis, ut lege regia cautum est. sed haec ille non dixit. & quamvis ea scripsisset, non casus magis dubitabiles, sed omni dubitatione carentes, ad oppugnandum sententiam nostram, non satis apte. adiunxit. voluit enim id esse argumentum fortius, cum tamen futile sit, neque ad propositum accommodari queat.

C A P. I. I. I.

A D I I C I T, mouere me non debuisse, quod Modestinus & alij iurisconsulti nostros majoratus non cognoverint, quia cum fideicommissa sint, ex iure fideicommissorum censeri debent.

Respondeo, me recte scripsisse, responsa veterum iurisconsultorum de fideicommissis loquentia, non esse trahenda ad majoratus, qui non solum fideicommissa non sunt, sed nihil ferè commune habent cum fideicommissis; ut mox ostendam.

Et quia non solum virum istum pereruditus haec opinio decepisse videtur, sed etiam plerosq. nostratum, qui putant majoratus esse fideicomissa, & iure fideicommissorum censeri debere, & iura de fideicommissis loquentia, ad majoratus sine delectu trahere solent: idecirco multa, in quibus plurimum differunt, subiungam.

C A P.

V N A differentia est, quod non eodem nomine, sed diversis nuncupantur: quod non esset, si idem fideicommissa & majoratus essent. L. si idem. C. de codicil.

Altera, quod etymologia fideicommissi non congruit majoratu, quia nihil fidei successoris in eo committitur. ergo non sunt idem. L. 2. §. appellata. ff. si cert. peta. §. vlt. institu. de fideicommiss. heredita.

Tertia, quod alterius definitio alteri convenire nequit, igitur neque definitum. L. 1. §. dolum. ff. de dolo.

Quarta, quod maioratus fiunt expresso regis concessu, fideicommissa vero libera iuris communis testandi facultate.

Quinta, quod in maioratu instituendo iusta causa opus est, ut libro primo de primogenitis Hispaniae disserui. in fideicommissis autem sufficit pro ratione voluntas. §. disponat. authen. de nupt.

Sexta, quod maioratus a maiore in maiorem transfeunt, & inde nomen acceptur; fideicommissa non item.

Septima, quod is qui maioratum constituit, regis priuilegio potest ceteris filiis in parte portionis legitimae damnum inferre, qui fideicommissum relinquit, non potest.

Octava, quod haeres fideicommissum restituit fideicommissario. successor maioratus

L I B . D I S C E P T A T .

nihil alteri restituit, sed recta via dominium & possessio maioratus in aliud successorem transit; ut lege regia est cautum.

Nona, quod heres detrahitur quartam fideicommissi partem ex senatus consulto Trebelliano; successor maioratus nihil detrahere potest.

Decima, quod fideicomissa non porrigitur ultra quartam generationem: maioratus perpetui sunt.

Vndecima, quod bona maioratus, etiam iustis ex caussis alienari non queunt; fideicomissa quibusdam ex caussis in toto, aut parte minui & alienari possunt. authen. res quae. C. communia. de legat. authen. contra cum rogatus. ad Trebel.

Duodecima, quod legatum longissime distat a maioratu. at per omnia exequata sunt legata fideicommissis. l.i. ff. de legat. i.

Decimatercia, quod iure communi non prefertur masculus foemine in fideicomisso, sed regio iure in maioratu confiendo, aut penitus excluduntur foeminae, aut certe a masculis eiusdem gradus etiam aetate minoribus excluduntur.

Decimaquarta, quod in fideicomisso multi simul succedere poterant: in maioratu unus duntaxat succedit.

Decimaquinta, quod maioratus non solum in testamento, sed etiam in contractibus

C A P . V I .

bus fiunt: sed fideicomissa in ultimis voluntatibus tantum fieri poterant.

Decimasexta, quod in priuilegio a rege concesso, ut maioratus fiat, multa prater ius commune conceduntur, quae relinquenti fideicomissum non competit; quemadmodum ex ipsa scriptura liquido perspicitur; & illud in primis adiicitur litem hanc ditimens, quod maioratus conficitur propter crimen laesa divinae & humanae maiestatis: qua lege & maioratus fiunt & confiscantur. Ex quibus omnibus, aliusq. multis perspicuum est, esse res longe diuersas, maioratus & fideicomissa: ac proinde male trahi argumeta ab uno eorum ad alterum, cum ex diuersis nihil inferatur, & ut vulgo loquuntur, ex diuersis non fiat illatio.

C A P . V I .

P O S T R E M O ait, me alibi scripsisse, haeresim paternam non nocere filii in successione cui paterni. quod (ut sibi videtur) omnino destruit meam priorem sententiam. ego vero affirmare ausim, nihil minus destruere meam priorem sententiam, quam id quod ipse retulit. vtrunq. enim verum est, veritas autem veritatem contraria esse non potest.

Alterum quidem recte fatetur esse verum, quia haeticus pro mortuo habetur, & successio cui recta via transit in nepotem, eius patre propter haeresim sublato de medio an-

A s tequam

tequā auus moreretur. quod ipsum si contingat in casu proposito , neque bona maioratus, quæ nunquam possedit hæreticus, confiscarētur, sed ab auo, ultimo posseſſore, in nepotem transirent.

Alterum verò longè dissimile est , quia planè loquimur de possidente maiorum, qui eius dominus est , & in hæresim incidit : quo casu asserimus, maioratum confisciari. quod non solum iure communi & regio verum. esse putamus ; sed ex ipso regis priuilegio id perspicue patet , in quo semper expressè excipitur, ut propter atrocia illa crimina maioratus confiscetur. atque ea est lex omnino seruanda: C. i. de duobus fratri. libro feudo.

Quòd si fortè dixerit, se non de his bonis intellexisse, sed de aliis sine ea clausula colligatis; obiiciemus ei sua ipsius verba, quæ semper de maioratu loquuntur. nam cetera huiusmodi bona , non maioratus , sed vincula bonorum, vel prælegata, vel meliorationes non solum à vulgō , sed etiam à iurisperitis Hispanis appellari solent , & in multis à maioratibus distant : de quibus in catholicis institutionibus etiam disputauimus. quòd si alia meliora pro sua opinione deinceps attulerit, aliorum esto iudicium; ac fortasse talia erunt , vt in suam sententiam me quoque trahant. interim autē satis mihi crit,

erit, antiquum illum sermonem ab Eueno Paro relatum usurpare: Hęc tibi videntur, illa verò mihi. vide d. Fran. Sarmientum libro 3. selectarum interpretationum, cap. 4.

M V L T O magis vrgere videntur argumen-
ta Ludouici Molinæ, iurisconsulti ce-
leberrimi, qui libro quarto de Hispanorum
primogeniis , quæſtionem suprà scriptam
copiose disputauit : sed quia in opere illo
alia quoque prius contra lententias nostras
scripsit, de illis quoque nos breuitate solita
différemus, antequam ad quæſtionem istam
veniamus.

Cùm finis definitionis eò in primis ten-
dat, vt intelligatur quid sit id de quo dispu-
tatur, quemadmodum docuit Cicero libro
primo Officiorum : Hispani cæteri & ego,
contéti fuimus definitione, sive descrip-
tione quadā, ex qua facilè intelligeretur, quid
sit id quod maioratum vocate solemus:
quod vñq. adeò planum & certum fecimus,
vt nemo de ea redubitare posset.

Ille verò nostris reiectis, nouam hanc de-
finitionem inuenit : Maioratus est ius suc-
cedēdi in bonis ea lege relictis, vt in familia
integra perpetuò conseruentur, proximo-
quæ cuique primogenito ordine successuo
deferantur , in qua definitione duo exami-

nanda sunt; vnum, an maioratus sit ius; alterum, an ordine successuo deferatur. sed quia hoc postremum breuiter concludi potest, pauca verba in eo sunt impendenda.

Non sanè dispicio, quis sit ordo ille successivus; cùm totus pendeat ex voluntate instituentis maioratum: idcirco fortasse apertius diceretur, ordine à maioratu constitente p̄finito. quo solo quibusdā obiectionibus locus nō relinqueretur, sed nihil amplius in hoc moror, neq. in cæteris, quæ omni dubitatione carēt, & cum descriptiōnibus nostris omnino conueniunt. vide illum libro 2. cap. 2. nu. 7.

Supereft, vt an maioratus sit ius, executiamus. nec timebimus in hac disputatione ciuiis nostri Seneca nafum, qui libro 6. de beneficiis, cap. 5. inquit: Iurisconsultorū istæ acutæ ineptiæ sunt, qui hæreditatem negant vsu capi posse; sed ea quæ in hæreditate sunt, tanquam quidquā aliud sit hæreditas, quām ea, quæ in hæreditate sunt. nam ipse inquit paulò post: Quid in vestra schola iuris sit, vos sciatis. rectè quidem id reliquit iurisconsultis, qui aliud hæreditatem esse, aliud res hæreditarias perspicuè ostendunt.

Neq. hisce disputationibus lœdetur amicitia nostra, maior enim est, quām vt facile minui possit. adde, quod hæc omnia eidem doctissimo viro subiicio, vt ea, si videbitur, diluens,

diluens, opiniones ac sententias suas probatores & eudentiores efficiat.

A c primum quidem, regnum non est ius succedendi in bona regni: verbi gratia, regnum Hispaniæ, non est ius succedendi in regnum Hispaniæ: aliud enim est res, aliud ius ad rem, vel succedendi in rem. sed & Ludouicus Molina eudentissimum esse ait, Hispaniæ regnum esse verissimum maioratum, igitur maioratus non est ius succedendi. & ipsemefatetur & probat antecedens lib. 1. cap. 2. & lib. 2. cap. 2.

Ad hæc, si maioratus ius esse: utique in corporeum foret, & neque tangi, neq. possideri posset; leges autem regiæ, possidentes omnia bona maioratus appellant possessores maioratus; & ipse quoque Ludouicus Molina sèpè possessores maioratu eos vocat, ergo maioratus non est ius. vide illum libro 3. cap. 13. num. 59.

Deinde, si unus haberet omnia bona maioratus, & alter ius succedendi: vter eorum diceretur habere maioratum? profectò ex communi usu loquendi, à quo natum est nomen maioratus, omnes dicent, illum habere maioratu qui habet omnia eius bona, & non illum qui habet ius succedendi.

Postremò, ius succedendi, nihil est aliud, quām ius ad succedendum & consequen-

dum id, quod quis nondum habet : si vero ex iure illo succedat, iam non dicetur habere ius succedendi, sed successionem ipsam: quemadmodum is, qui adiit hereditatem, efficit, ut nomen hereditatis euanescat, ac deinceps non iam dicatur hereditas, sed patrimonium eius qui illam adiuit. sicutigit qui consecutus fuerit possessionem maioratus, hoc ipso dicetur non habere maioratum, quia iam euanuit ius succedendi, quod proculdubio videri potest esse mirabile, sed de questione non admodum utili, haec satis & super.

C A P. IX.

IN A L I O capite eiusdem operis Ludouicus Molina ita scribit: Si quis maioratum instituens dixerit; ex bonis meis maioratum instituo; & si nihil aliud adiungat, nullaque alias conditiones adiiciat, in huiusmodi bonis idem succedendi ordo seruabitur, qui legibus regiis ipsi regno Hispaniarum (quod omnium Hispanorum primogenitorum caput est) statutus inuenitur. haec ille lib. 1. c. 3. & iterum lib. 4. cap. 1.

Quibus primis verbis plane significat, perfectum maioratum fieri posse solis his quinque dictionibus; ex bonis meis maioratum instituo, quod & nonnulli quoque doctissimi viri ante illum dixerunt. ego vero iam diu scripseram, imperfectam voluntatem

tatem eam esse mihi videri, nec ullam esse legem, quae tantam vim tribuat verbo, majoratus: nec afferri posse consuetudinem ad comprobandum casum, qui nunquam contigit: & alia præterea quædam, quæ videre licet in primo libro nostro de primogenitis Hispaniæ, cap. 25.

Quibus argumentis nihil omnino respondens, adiungit hec verba: Tametsi contrariam opinionem amplecti videatur Dominus Didacus de Simancas; cuius sententiam in hac parte probare non possumus, quidem magnifico tanti viri iudicium, sed quousque rationes, quas protuli, diruat, à mea sententia non discedam.

Qui vero aiunt, maioratum in dubio esse censendum eodem iure, quo regnum, (quod & ipse quoque scripseram) de perfecto maioratu loquuntur, nam si solleñibus facultatum & regiarum legum seruatis, maioratus perfecte sit factus, dubitabile non est, quin casus omissi atque dubij eisdem regulis, quibus regnum ipsum, decidendi sint, sed maioratus imaginarij & imperfectissimi, qui neque facti sunt, neque fient unquam, non in Hispania, sed in Utopiæ sum republika recipiendi & interpretandi sunt.

C A P. X.

IDEM Ludouicus Molina iurisconsultus illustris, capite ultimo libri secundi, de Hispania

Hispanorum primogenitis ita scribit : Di-dacus de Simancas libro 1. de primogenitis Hispaniæ ca. 26. Formam primogenitorum tradens, inquit, satius esse, ut is qui primogenitia instituit, rem in pauca conferat, liberos suos primogenitos ceteris præferendo, reliquos consanguineos primos ordine legitimæ successionis generaliter designando, fœminas (si libuerit) penitus excludendo, quæ (vt ipse inquit) ad omnem dubitatem tollendam sufficient.

Deinde, refert alias. (vt vocat) formas instituendorum maioratum, quibus Fernandus Menchaca & alij consulunt, vt ponantur aliæ duæ clausulæ vtile, nē dubia & lites orientur. ac demum adiungit : Sed quamvis ex stricto iuris rigore hæ primogenitorum formæ sustineri possent in bonis que sic maioratu subiectis perpetuo iure maioratus succedendum esset, adhuc ex nimia breuitate plura dubia super eorum maioratum interpretatione exorirentur, quæ ex aliarum clausularum adiectione necessariò diluenda sunt. addiisque, se has laconicas atque breuissimas formas non probare.

Ego quidem, tantum abest, vt formam conficiendi maioratum illo in loco tradiderim, vt ab amicis rogatus, vt formulam aliquam compонerē, iustis ex causis in id adduci nequiverim, dicens, me admonuisse suffi-

sufficere, ne clausulæ superuacaneæ adiarentur, ex quib[us] inexplicabiles questiones soleat exoriri. & quia difficillimas quasdam controversias videram ex clausulis redundantibus, & ex ordine succedendi, atque ex seminarum exclusione ortas, idcirco illa in pauca esse conferenda dixi, vt omnis dubitatio de rebus illis auferri posset.

Cæterum, si fortè peccandum sit in altero, mihi semper magis breuitas, quam prolixitudo placuit; atque illud existimo, quæstiones à constitente maioratum omissas, longè melius ac certius regis legibus & iure communi decidi posse, quam illas, quæ ex prolixis & confusis, diuersis & contrariis clausulis oriuntur.

Probo tamen formulam à iureconsulto eruditissimo ibidem praescriptam, vt vel totam, vel eas partes, quæ magis arriserint, vnuquisque usurpare facile queat, nec id imperitorum arbitrio relinquat, praesertim tabellionum, quorum aliqui adeò sunt inepti, vt notis, sive formulis sibi praesinitis cum delectu vti nesciant. vidi ego scripturam venditionis, in qua ridiculus tabellio scripsit, Lucium vēdere seruācum cum omnibus ingressibus & egressibus suis ; clausulam venditionis prædiorum, ancillæ venditioni stultissimè accommodans.

RECEDEIT præterea à mea quadam opiniōne, à qua ego quoq; recesserām, cū federem iudex in contentu iuridico Valdolitano. vidi enim hominem longè maioris ætatis, petentem se declarari successorem eius maioratus, quem junior possidebat; & neque auctor filios habebat, nec reus ab spe filios suscipiendi prorsus exciderat. itaque mihi & collegis meis tunc visum fuit, petitionem illam importunam esse, ac facile fieri posse, vt acta omnia inefficacia forent, si ordine naturæ vterque moreretur: quod euentus ipse comprobauit: auctor enim iam diu mortuus est, & cū hæc scribimus, adhuc reus viuit.

Cū autem posteriores cogitationes (vt ait Cicero) soleant esse sapientiores; tam ex his, quæ tunc ipse cogitauit, quam ex argumentis Ludouici Molinæ hanc posteriorem sententiam sequor. vide illum lib. 3. de Hispanorum primogeniis, cap. vltimo. addo, quod eiusmodi auctori oblii ci iure potest versus ille:

Adueniet iustum pugnæ, ne accersite, tempus. Videtur quippe litigare, & in iudicio pugnare velle ante tempus, & reum iniuste vexare; postremò, si possibile esset, iudices futura contingentia præscire, nihilominus de his iudicare nequirent, nam & Deus ipse præsen-

præsentia iudicat non futura; nec condemnat ex præscientia, quem nouerit talēm fore, qui sibi postea displiceat: sed tantæ bonitatis est, & ineffabilis clementia, vt eligat eum, quē interim bonum cernit, & scit malum futurum, dans ei potestate mōuersio- nis & pœnitentiæ, vt inquit sanctus Hieronymus lib. 3. aduersus Pelagianos.

VENIO nunc ad quæstionem illam vehemētem, vtrum propter tria grauissima crimina, maioratus confiscetur: quam olim ipse copiosè disputauit, & postea Ludouicus Molina copiosissimè differuit. ego in meis institutionibus catholicis, titulo 9. de bonis hæreticorum; ille verò lib. 4. de Hispanorum primogeniis, cap. vltimo.

Sed quia in multis à me diffentit, & res ipsa maximi momenti est, operæ pretium me facturum putaui, si eam nunc iterum breuiter excusero, & argumenta singula expendero, vt in primis ipsemet Ludouicus Molina, deinde cæteri iurisperiti liquido perspicere ac diuidicare queant, quantum uniuicique arguento tribuendū sit: veritas enim quo plus excutitur, plus clarescit, nisi forte nimium disputando, magnisque contentionibus amittatur. quod satis scio à nobis non esse committendum.

Ac primum quidem ea commemorabo

in quibus conuenit inter nos. quorum illud est unum : Cūmis qui maioratum fecit, in hæresim incidit antequā eius possessionem alteri tradiderit, aut scripturam fecerit irrevocabilem ; tunc enim ea bona confiscantur, & quod de crimine hæresis dicimus, idem erit de crimine læsæ maiestatis atque nefando. ego, num. 227. ille, nu. 18.

Alterum est, quod regnum, quod verè maioratus est, propter hæresim ab heretico rege & ab eius filiis auferetur. ego, nu. 220. ille, nu. 29.

Tertium, cūm bona ipsa donata sunt à rege, vt donatarius & eius hæredes perpetuò ea possideant iure maioratus : tunc enim si quis ex possessoribus commiserit crimē læsæ maiestatis, bona illa publicabūtur. vt ipse rectè docet, nu. 39. cui ego libēter assentior.

Quartum, illi maioratus confiscādi sunt, & iustè fuere publicati, quorum possessores in crimen læsæ maiestatis inciderunt cōtra Regem nostrum Carolum, Romanorum Imperatorem anno Domini 1520. iuxta pragmaticā sanctionem Vuormatiensem; vt ille tradit, nu. 57. cum sequen.

Quintum, cūm in facultate regia, ad maioratum instituendum cōcessa, tria illa crimina excepta fuerint: nam ea pro lege seruanda erit. ego, nu. 224. ille, nu. 63.

Hæc sunt quinque capita, quibus ambo-
rum

rum consensu maioratus auferuntur à posseſſoribus, & addicūtur fisco. Sed in aliis inter nos non voluntatum, sed intellectuum dissensio est: ambo enim veritatē amamus & inquirimus, omni contentione reiecta.

Ego quidem aio, maioratus omnes esse confiscandos propter crimina supraſcripta; ille verò negat. Et vt eodem ordine procedam in argumentorum meorum defensione, quem Ludouicus Molina seruauit in eis diluendis: Primò, inquit, non obſtare, quod ego dixerā, bona, quae sunt in dominio delinquentium, esse publicanda: dominium autem bonorum maioratus esse penes delinquentem; quod etiam ille fatetur: ergo illud confiſcandum esse. hæc pleniū ſcripsi nu. 232.

Respondet, id non obſtare: nam cūm in caſu, de quo agimus, in bonis delinquentis non sit aliud, quam dominium quoddam temporale, atque ad eius vitam reſtrictum, illud ſolum debet cōfiscari cum sua cauſa; nec confiſcatio extendenda eft ad dominiū, quod ad alios transferendum eft: aliaſ nanque non ſolum bona ſua, ſed etiam aliena fisco adiicerentur. haec tenus ille, nu. 34.

Hæc argumenti ſolutio ſic refelli poſſe videtur. & ſi demus, dominium, quod quipiam toto ſua virte tempore habet, eſſe tem-
porale,

porale, quia (vt ait) in casu de quo agimus, est ad eius vitam restrictum: non inde sequitur, confiscationem in eo locum non habere, ratione illa; quia transferendum est ad alios: hoc enim est quod negamus, & in eo tota cōtroversia est; dicimus namq. in casu isto dominium ad alios transire non posse, nēdum ad alios transferendum non esse.

Quia, vt sēpē à me dictū est, & dicendum, & comprobandum est sepius, nemo vñquam efficere potest, vt in suo testamento & contractu leges non habeant locum, neque impedire valet in specie proposita maioratus confiscationem.

Itaque cùm ait, dominium illud ad alios esse transferendum, sic excipiendum est, nisi is, qui dominium habet, crimen aliquod illorum trium cōmiserit: tunc etenim fiscus bona illa iure occupans, impedit, ne ad alios transeat. sicut in quinq. casibus iam antē commemoratis, in quibus amborum sententia maioratus confiscatur, & tamen eodem modo fuerat dominium ad vitam possessoris restrictum.

Vnde facilē refutatur consequentia illius inconvenientis, quod fiscus occuparet non solum bona delinquentis, sed etiam aliena: quia negamus bona illa esse aliena; erant enim delinquētis, & iure fisco addicuntur, ante quam ad alios peruenire, aut eorū esse possent.

E O D E M loco dicenti mihi, non esse cēfendū, regias leges cōcedere parenti, vt de bonis suis ita disponat, vt in fiscum transire non valeant, cū id sit de regalibus, nec princeps esset illud verisimiliter cōcessurus: mihi (inquam) sic respondet: Cūm hoc, vt scilicet quis de bonis suis ita disponat, vt ad fiscum transire non valeant, iure cōmuni vniuersi. concessum sit, nec ex eo dicatur quis fisco fraudem facere: non est cur dicamus ex dictis legibus id concessum nō videri, cūm, & si ex dictis legibus non cōcederetur, sufficeret id ex aliis cōcessum esse. hēc ille nu. 34.

Quā quidem refelli facile possunt, negando, iure communi esse cuiquam cōcessum, de bonis suis ita disponere, vt perpetuò in fiscum transire non queāt. addo, quod & si id alicui concederetur iure communi, quo maioratus erāt incogniti, & in quib⁹ multa noua & specialia sunt; iure tamē regio nihil tale speciatim cōcessum esse video, quinimo in prædictis tribus casibus reges semper declarare solēt, vt maioratus cōfiscentur, & ex illa declaratione à regibus fieri solita sumi debet interpretatio legum generaliter loquentium: & argumenta nostra non sunt explosa, vt videre licet nu. 236. cum seq.

Deinde ordine suo ad tertium argumen-

tum respondet, valere principis concessio-

nem, ut maioratus etiam propter crimina laesa maiestatis non consenserunt, saltē cū factus fuerit ex propriis bonis constituentis illum; quia tunc potest apponi clausula illa etiam absque principis concessu.

In quo responso duo continētur, vnum, quod valet clausula illa suprascripta: sed contrariu[m] tradit Frāciscus Galindus, loco à me citato, cuius sententiam fecutus sum: quia magna pars pœnæ illis criminibus debet tolleretur; & ansa præberetur ad ea committenda; & quia ius illud regale confiscationis à rege condonari non potest, saltē in præjudicium suorum successorum. alterum verò, quod quilibet priuatus absque licentia principis ea clausula vti valeat. iam id paulò ante negauī, & postea pleniū probaturus sum, id nulli vñquam licuisse. vide interīm que scripsi nu. 229. & nu. 237.

C A P . X V .

I D V E RÒ, quod arguento quarto respondet, eadem facilitate negatur, qua asseritur addo etiam illud, mirabile esse (ne dicam absurdum & incredibile) quod liceat priuatis hominibus leges imponere regibus, vt ne vñquam bona subiectorum suorum propter atrocissima crimina confiscare queant, & quod reges ipsi teneantur legibus illis obedire. c. cū inferior. de mari. & obediens. vide ea quæ scripsi nu. 236. cū seq.

Nec

Nec mihi videtur satis esse remota argumentatio illa, qua vñsus sum, & cui quinto loco respondet, sed satis proposito congruens, quinetiam fortiori arguento urgere, nam si rex legem facere potest, qua permittat bona maioratus alienari, & quotidie id priuatis decretis facit, ad subditū cuiuslibet vtilitatem; multo magis illa poterit cōfiscare propter atrocissima crimina ad reipublicā vtilitatem, cuius plurimū interest, ne talia facinora cōmittantur; & si fuerint perpetrata, vt tum aliis pœnis, tum cōfiscatione maioratum seuerissimè puniantur. quod autem reges in casib[us] prædictis bona illa confiscare velint, dubitabile nō est. quod si volūt & possunt, vtiq. argumentū meum efficax & cohærens est, nu. 235.

C A P . X V I .

S E X T O arguento respondens, ait, successionem in bona maioratus, non iure hæreditario, vt plurimis placet, sed potius iure sanguinis deferri. Quod semel & iterū alibi tradit lib. r. cap. 8. & in annotationibus nu. 6. cum sequent.

Sed quod in maioratum non succedatur iure sanguinis, videtur esse perspicuum, siue ius illud sanguinis accipiatur pro titulo, siue pro caussa, siue pro ratione; nec enim vi-

B dce

deo aliam significationem, quam in specie proposita ius sanguinis habere possit.

Porrò successor maioratus neque titulo sanguinis, neque ratione sanguinis, neque causa sanguinis, neg. ius sanguinis maioratu petere, aut consequi potest. quia si propter aliquid eorum illum petere vellet, facile posset excludi ab his qui eiusdem gradus essent, ac multo magis ab eo, qui esset in proximiori consanguinitatis gradu.

Verbi gratia, si maior consanguineus maioratum paret, quia dicat iure sanguinis sibi soli deberi; recte excipient alij omnes eiusdem gradus dicentes, se aequaliter idem ius anguinis habere, neque idem minus illud habere, quod actor sit aetate maior: ius enim sanguinus si ex sanguine oritur, aequaliter erit omnibus, qui eundem sanguinem in codem gradu habent, siue sint aetate maiores, siue minores.

Quin etiam cum foeminae prorsus excludentur, etiā si proximiōres sint; & cum clerici, monachi, & mente capti, & id genus alij repelluntur, quāuis maiores, aut proximiōres existant, hi qui post illos succedunt, non sanguinis iure succedunt, ac multo minus qui fuerint penitus extranei, sed tamen votati sint ab eo institente maioratum, qui liberos non habebat.

Qui vero aiunt, in maioratu succedi iure hæredi-

hæreditario; cum plurimi sint, & iuris peritissimi, non sunt interpretandi sensisse, ius illud hæreditarium esse ius succedendi, sicut hæredes ultimi possessoris, in vniuersum ius, & in omnia bona, quæ possessor ille postremus habuit; sed, ut recte Ludouicus Molina inquit, intellexerunt de iure hæreditario, quo succeditur primo institutori, libro I. cap. 8. nū. 10.

Tum addo, ius illud (ut mihi quidem videtur) verius dici posse ius vocationis, & nominationis, quā ius sanguinis; inde enim oritur actio & ius & causa & titulus vnicuique successori, & non ex sanguine.

Sed Ludouicus Molina alter accipit ius sanguinis, inquit enim: Illud dicitur deferri iure sanguinis, in quo is qui hæres non est, vel etiam qui hæres est, ex sola agnatione seu cognatione, vel speciali vocatione, non autem iure hæreditario succedere potest. Hæc ille prædicto cap. 8. nū. 6.

Quod autem, qui speciali vocatione succedit, is dicatur succedere iure sanguinis, mihi nullo modo probatur, non solū si vocetur extraneus, quo casu indubitate est, illum non succedere iure sanguinis: sed etiam si vocatus fuerit agnatus vel cognatus, & ipsa consanguinitas sit causa nominationis facta à constituentे maioratum, non secus, atq. si quis propter amicitiam institutus sit

B 2 hæres:

hæres:is enim dicere non poterit, sibi delata-
tam hæreditatē iure amicitia, sed iure insti-
tutionis. & si enim consanguinitas vel ami-
citas mouerit cōditorem maioratus ad vo-
candos aliquos successores, illi tamē ex vo-
catione ius habent, & non ex illa caussa, qua
motus fuit is, qui eos vocauit.

Quòd si successor regis à lege defertur re-
gnum propter genus & consanguinitatem,
non ideo videtur habere ius succedendi im-
mediatē ex sanguine, sed ex lege propter
sanguinem. vereor tamen, ne controversia
haec videatur esse de verbis, quandoquidem
de rebus ipsis dissensio esse vix potest.

Siuē autem regnū deferatur iure sanguini-
nis, siue iure regio propter sanguinem, iam
antē retuli, nos in eo conuenire, vt regnum
propter hæresim auferēdum sit ab hæretico
rege atq. ab eius liberis; ergo & alij maioratu-
tus: itaq. argumentum meum nō est inane.

C A P . X V I I .

SEPTIMO loco refellit aliud argumen-
tum dicens, tunc demum feudum cōfiscari,
cūm crimen est commissum contra eum, qui
feudi dominus erat. sed & si eā opinionem
sequamur, nihilominus argumentum pro-
cedere videtur, etiam ratione fortiori: quia
nō semper dominus antiquus feudi rex est,

aut

aut eius status, vt contra illū cōmittatur cri-
men laſe maiestatis: quòd si tunc quoque
feudū publicatur, multo igitur magis pro-
pter diuinam vel regiam maiestatem laſam
confiscari poterit.

Mox autem respondēs octauo argumēto,
negat, valere argumentum de regno ad ma-
ioratum, eo quòd maius periculum ab hæ-
retico rege timeatur, quam ab alio homine
priuato. nu. 37.

Nos verò dicimus confiscationis pœnam
non esse impositam propter maius aut mi-
nus periculum, sed propter crimen ipsum:
alioqui non essent bona eius confiscanda, à
quo nullum, aut paruum periculum time-
retur. quod est planè falsum.

Quinimo argumentum videtur esse for-
tissimum: quia cū ipse sāpē fateatur, re-
gnū esse verē maioratū, & ego probauerim
libro primo de primogenitū Hispaniæ, non
sólū esse iure ciuili maioratū, sed iure etiam
quodam gentium: si regnū confiscatur, er-
go multo magis ceteri maioratus.

Huc accedit, quòd nō solum propter cri-
men hæresis, sed etiam propter crimen laſe
imperatoria maiestatis sine dubitatione re-
gnū cōfiscaretur, si rex subiectus esset im-
peratori, & tamē tunc non versaretur dam-
num totius regni, cui forte magis expedire
imperatoris subiici: neq. damnū totius Chri-

B. 3. stianitatis,

ftianitatis, aut religionis, si catholicus esset imperator.

CAP. XVIII.

IMPUGNATIONIBVS argumentorum dilutis, ad ea refutanda, quæ pro cōtraria opinione proferuntur, veniamus, ac primò, dicitur apud omnes communī decreto receptum esse, vt bona primogenio subiecta non possint venire in perpetuam confiunctionem ex delicto possessoris.

Cui respondetur, non extare de hoc aliquod cōmune decretum generale, ac multo minus speciale, quod de tribus illis pestiferis criminibus loquatur. quod si qui sint, qui id afferant, sunt etiam alij, qui meę sententiaę sunt; atqui non numero auditorum, sed iure ac ratione agendum est. idcirco iura quæ afferunt, dispiciamus.

Ludouicus Molina, qui pleniū ac melius, quam cæteri omnes, questionē istam disputauit, argumentatur sic: Iura, quæ transire non possunt in hæredes extraneos, nō transiunt in fiscum; sed maioratus non transit in extraneos hæredes: ergo neque in fiscum transire possunt.

Probat antecedens exemplo iuris patronatus, quod patronus habet in bonis liberorum: id enim dānato patrono eius liberis conseruantur. l. corū. ff. ad legem Iuliam iesta.

iest. l. iura libertorum de iure patrona.

Hoc facilè dissoluitur, negando, valere argumentū à iure libertorum ad maioratum; sunt etenim res prorsus dissimiles, & nihil commune habent; vt est euidentissimum.

Addo, quod bona libertorū, qui nullum crimen cōmiserunt, & nondū erant in bonis patroni dānati, ea cōseruantur filiis decreto speciali Seueri i imperatoris, quod ad maiorum porrigi nō potest, in cuius cōseruatione nihil eiusmodi constitutū est. dicta l. eorū.

Quod verò id sit ius singulare, liquidò perspicitur, quia bona illa non erāt restitutiōni subiecta, & nō existentibus dānati liberis fisco vindicātur, ergo vel fauore liberatatis à patrono datae, vel propter commiserationem quandam illud imperator Seuerus decreuit.

Addo etiam, quod patrono mortuo antequam petierit bonorum possessionē cōtra tabulas liberti, vel nolente ad se pertinere liberti bona, liberi eius confestim ea petere possunt. itaq. damnato patrono antequam bona liberti adiret, ea in filios iure, & nō in fiscum transeunt. l. 2. & l. libertinus. ff. de iure patronatus.

Eadem quoque respondeo ad rescriptum Seueri & Antonini; quo iura libertorum, liberis patronorum salua esse benignissime rescripserunt. nam verbū illud, benignissi-

mē à Marciano adiectū, perspicuē indicat, iure speciali ex mera benignitate id fuisse decretum: quod verbis adiunctis comprobatur; inquit enim Marcianus: Sicut ex alia causa punitorum liberis iura libertorum salua sunt, quamvis alia bona parentū confiscentur. l. 1. ff. de bonis damnato.

Non ergo fieri regula debet ex casu singulari de iuribus libertorum, vt porrigi dobeat vel possit ad maioratum. nec valet argumentum illud, nō transit ad hæredes extraneos, ergo neque ad fiscum: quia sunt multa, quæ non transeunt ad hæredes extraneos ex testamento vel ex contractu, & tamen transeunt ad fiscum ex confiscatione propter atrocissima crima: multi enim qui alienare nequeunt aliqua bona, neque illa in extraneos transferre, si facinora illa supra scripta committant, eisdem bonis priuantur, & ea rapit fiscus, & in iura ipsa libertorum interdum succedit. l. 1. C. de bonis libertorum.

C A P. X I X.

N E C obstat illud, quod feudum antiquum nō confiscentur: tum quia res diuersæ ac dissimiles sunt feuduī & maioratuī; tum etiam, quia feudi proprietas ac dominium directum non est apud feudatariuī, sed apud feudi dominum, qui neq. suo iure priuādus est, neque cogēdus, vt filicum habeat in feudatarium,

datarium, qui ei seruire non potest sicuti quilibet homo priuatus.

Eadem omnino respondemus ad argumentum de emphyteusi, quæ ex contractu non transit in extraneos: tum quia domino proprietatis seruādum est ius suum, nec eo priuari potest propter crimen emphyteutæ: tum etiam, quia fragile est argumentum ab emphyteusi ad maioratū, cùm res sint prorsus dissimiles.

Nec obstat illud Modestini; quo ait, publicaris bonis legatarij, cui serui legati erant, his verbis adiectis: Quos tibi commēdo, nō cui alijs seruiant, seruos illos non esse confiscandos, sed debere publicē manumitti. & paulò post: Hæreditate fisco vindicata, & directo, & per fideicommissum datas libertates deberi. l. imperator. ff. de fideicommissa. liberta.

Non obstant (inquam) rescripta imperatorum ab eodem relata, quibus supra scripta illi justē decreuerūt, tum quia fauore libertatis ea decreta esse planè vidētur; nō etiam, quia in priori casu expressa fuerat voluntas testatoris, ne serui alijs quam legatario seruirent; & in posteriori datæ libertates à testatore esse dicuntur, & tamē opus fuit rescriptis imperatorum, vt ne serui publicarentur. & quis non videt, quale sit argumen-

B. 5 tum

tum, quod ex ipsis casibus ad confiscatio-
nem maioratum trahitur?

Mirabile profectò est, quòd multi iuris
periti ex loco isto regulā generalē faciant ad
fideicōmissa, atque adeò ad maioratus; cùm
nihil minus inde colligi valeat, quām quod
ipsi volunt: vt ex litera & eius mente cuili-
bet perspicuum esse facile potest.

C A P. X X.

QVINTO loco suam opinionem confir-
mat exemplis fideicommissorum, quæ non
confiscantur propter crimen hæreditis, sed
fideicommissario restituuntur, saltem post
hæreditis mortem. l. ex facto. §. ex facto.
ff. ad Trebel. l. cùm pater. §. hæreditatem.
de legatis 2.l. Statius. §. Cornelio . de iure
fisci.

Sed ex plurimis differentiis, quas inter ma-
ioratus & fideicōmissa iam autē collegimus
cap. 5. satis cōstat, ab uno ad alterum argu-
menta sunii non posse; præsertim cùm ius
certum personis quoq. certis fideicommisso
tributum sit: in maioratu autē successio in-
tegra illius omnibus primogenitis ordine
successivo in infinitum deferatur; quæ suc-
cessio impeditur confiscatione interniēte
propter tria illa maxima crimina , vt antē
probaui, & postea quoque probaturus sum.

Sexto

Sexto argumentatur ex regula quadā ge-
nerali sumpta ex casu particulari. regula au-
tem hæc est: Qui non potest alienare cōtra-
hendo in præiudicium alterius , non potest
illi præiudicare delinquēdo. quam ipfē post
alios deducit ex lege Alexandri, quę ait, pe-
culium castrense filiis familias, eo deportato,
non esse patri auferendum. l. si filius. C. de
bonis proscripto.

Sed regula illa mihi non probatur ex lege
allegata, nec in eo casu vera esse videtur, nec
in proposito nostro ad maioratum applicari
potest. primō, quia filius familias actionē &
persecutionem castrēsum rerum etiam in-
uitio patre habet, vt inquit iurisconsultus in
l. 4. ff. de castrensi peculio.

Cùm igitur filius familias alienare possit
bona peculij castrensis contrahendo, vt ibi-
dem & sāpē & alibi traditur ; malè regula
educitur ex casu peculij castrensis, quòd in
patris præiudicium non confiscatur ; cùm
illud alienare filius posset quolibet contra-
etu : ergo nec regula illa probatur ea lege,
nec vera est in casu illo.

Sed neque generaliter videtur esse vera,
cùm vxor non possit contrahendo alienare
dotem in præiudicium viri sui, & tamen pro-
pter grāuissima quædam crima vxoris dos
confiscatur. l. quinque legibus. ff. de bonis
damnato.

Postremò, non sumitur argumentum efficax ad maioratum ex peculio castrèsi, quod penitus dissimile est, ac de quo multa singularia constituta sunt, tam in titulo de castrèsi peculio, quām sapè alibi: quorum pleraque collegit Iuuenalis Satyra quadam.

C A P. X X I.

S E P T I M O, suam opinionem probat respōso Alpheni iurisēfulti, quo dispositum esse ait, quod ille qui commisit aliquod delictum, ex quo bona illius veniunt fisco adiicienda, tantum amitterit bona sua propria & libera, non autem illa, quae à genere, vel à maioribus suis habuit, generique restituenda sunt. l. 3. ff. de interdi. & relegat.

Sed si literam illius responsi legas, planè videre poteris, non ea omnia ibidem contineri; hęc enim verba eius sunt: Eum qui ciuitatem amitteret, nihil aliud iuris adimere liberis, nisi quod ab ipso peruenturum esset ad eos, si intestatus in ciuitate moreretur; hoc est, hæreditatem eius, & libertos, & si quid aliud in hoc genere reperiri potest: quę verò non à patre, sed à genere, à ciuitate, à rerum natura tribuerentur, ea manere eis incolmia.

Vbi nihil dicitur de his bonis, quę dānatus ille à maioribus suis habuit, generiq. restituenda

tuenda sunt; sed ea duntaxat verba continentur, quae ex loco illo trāscripti: quę nihil obstat evidentur sententię nostrę; tum quia maioratus non tribuitur a genere, neq. à ciuitate, neque à rerum natura, sed ab eo, qui illum instituit, tum etiam quia ipsemet iurisconsultus cōfestim declarat, quae sunt ea, quae damnati filii incolmia sunt; inquit enim: Itaque & fratres fratribus fore legitimos hæredes, & adgnatorum tutelas & hæreditates habituros, non enim hęc patrem, sed maiores eius eis dedisse.

Vides quām longè distent hęc, quae liberiis damnati sunt incolmia, à maioratu, cuius dominus & possessor ipse dānatus erat? præterea iurisconsultus nō loquitur de criminibus atrocissimis, propter quae dicimus, maioratum esse confiscādum, quod liquidō perspicitur, quia dānatus ille ciuitatem, & non vitā amisit, quae proculdubio adimetur, si crīmē atrocissimum commisisset. sunt quidem gradus pœnarum secundum qualitatem criminum, quibusdam enim vita adimitur, aliis ciuitas, aliis seruīlis conditio interrogatur, & in his casib⁹ bona olim publicabantur. l. 1. ff. de bonis dānato.

Eisdē quoq. rationib⁹ refutari facile posse sunt, quę proferuntur ex aliis iurisēfultorum & imperatorū respōsis, quę quidē non de bonis maioratui similibus, sed de hono-

re, quem quis ab aucto & non à patre solo habet, vel de aliis rebus multo magis diuersis loquuntur, & quæ ad confisicationem majoratum nullo modo applicari, neque trahi posse videntur. l. emancipatum. §. ff. de senato. l. si dotē. C. de iure dotū, cū similib.

C A P . X X I I .

OCTAVO, & vltimo loco profert multos, quorum auctoritate concludit, quod in bonis primogenio vel maioratui subiectis delictum prædecessoris non potest nocere, vel præiudicare successoribus, quantum ad perpetuam confisicationem attinet. quod adeo clarum atq. apertū esse ait, vt in casu, de quo agimus, vltiori comprobacione non indigeat.

Sed locus ab auctoritate huiusmodi ius peritorum, qui sepiissimè aberrare solent, fragilis & futilis in disputationibus est. adeo quod non omnes illi de Hispaniarū maioratibus loquuntur, neque quales sint satis intellexerunt; quia vel Itali, vel Galli erāt, & soli duo Hispani fuerunt. deinde de aliis criminibus & non de tribus exceptis ea scribit Ludouicus Molina; de illis enim alibi inquit: Quæstionem satis dubiam semper estimatam fuisse tam apud nostrates, quam apud

apud exterios iuris interpretes. hæc sunt eius verba lib. 4. cap. vlti. nu. 26.

C A P . X X I I .

DE INDE, relatis meis argumentis, profert Cynum, Baldum, Aluericum, Ioannem Lupum, & Boeriu, qui plures alios retulit, afferentes, speciale esse in crimine laesæ maiestatis, vt propter illius immanitatem etiam filii præiudicetur in bonis à genere & non à patre illis prouenientibus; adiicitq. articulum satis esse difficilem. nu. 30. cum sequent.

Itaque opinio contraria nec indubitate est, nec receptissima, nec ego sine aliqua iuri ratione talium virorum sententiam secutus sum. Sed dominus Franciscus Sarmientus in dubiis rotetunc occupatus, verba illa properanter scripsisse videtur, lib. 3. selectarum interpretationum cap. 4.

Sed ad Ludouicum Molinam redeo, qui consultiùs ita cōsiderauit, & pleniùs ea disputauit, is autem opinionē sententiæ meæ contrariam comprobare conatur exemplis iurium libertorum, & feudi, qua non confiscantur propter crimen laesæ maiestatis. cæterū, quia eisdem argumentis iam ante respondi, illinc assumenda sunt, quæ d huic

hunc locum pertinere possunt ex cap. 18.
& cap. 19.

Demum profert verba cuiusdam cōstitutionis ex legibus regius septipartitis; quæ latīnē vtcunq. redditā, hēc sunt: Si hēres perduellis nō potuerit cum defendere, nec iure saluare, debet rex iudicare mortuum pro infamato perduellionis, & iubere, vt vendicētur ab hārede omnia bona, quæ habuit ex parte perduellis. ex quibus verbis (ipse inquit) ea lex apertissimè probare videtur à contrario sensu, quod ea bona, quæ hēres non habuit à patre, prout sunt bona maioratus, non sunt fisco adiicienda. nu. 33. cum sequent.

Mihi verò eadem verba consideranti non videtur ex illis apertè probari, quod maioratus non conficitur: tum quia non ait lex, vt bona, quæ hēres habuit ex maioratu, (qui eo seculo incognitus erat) eidem relinquatur: nisi quod omnia bona quæ habuit ex parte perduellis, fisco adiificantur. que verba vel sunt ambigua, vel certè nil aliud significat, quam id quod sonat; id est, vt quidquid habuit hēres quocunq. modo ex parte perduellis, ab eo auferatur, & bona maioratus hāredi obuenire potuerunt ex parte patris perduellis, & non ex parte matris. & lex duntaxat vult, ne ab hārede auferantur bona, quæ ipse aliud habebat, quæ multa alia effe

esse possunt præter maioratum. postremò, non debet sumi argumentū à contrario sensu ex verbis generalibus & ambiguis, neque contra alia iura.

Tribus igitur argumentis suprascriptis probabilior sibi videtur haec opinio; planè indicās, nostram sententia esse probabilem. sed præter ea omnia quæ iam protulimus, alia quoque afferemus, quibus fortasse sententia, quam defendimus, magis probabilis, quam hucusque apparuit, videri poterit.

In primis ergo inquirendum est, ytrum quilibet homo priuatus iure cōmuni possit instituere maioratum? Ludouicus Molina putat, id cuilibet licere ex regulis generalibus iuris communis.

Mihi verò contraria sententia vera esse videtur; quia in maioratus institutione multa concurrunt, quæ iure communi concessa non sunt. vt videre est in formula maioratus, quam ille posuit in fine libri secundi, de Hispanorum primogeniis.

Et vt præterea cætera, nusquam ius commune concessit, vt homo priuatus in suo testamento, aut contractu disponere possit, vt ne bona sua propter crimina successoris cōfiscari

fiscari queant, quæ clausula in omnibus fœrè maioratibus contineri solet.

Nec ad hoc efficiendum sufficiunt leges illæ, quæ generaliter aiunt, supremas voluntates esse seruandas, & standum esse contrahibus: quia leges ipsæ generalitatem illam restringunt, ita ut priuati homines sciant, nihil sibi contra ius esse concessum.

Inquit enim Iustinianus: Sanciat quisque in rebus suis, vt dignum est, & pro lege voluntas eius esto. & paulò post: Neque ordinet, quod generalibus legibus repugnet, authen. de nuptiis. constitutione nouella 22.

Et alibi Pomponius inquit: Nemo potest in testamento suo cauere, ne leges in suo testamento locū habeant. l. nemo. ff. de legat. 1.

Et lex Antonini ait, pacta quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores sunt, nullam vim habere, indubitate juris est. C. de pactis. l. 6.

Item Gaius iurisconsultus: Contra iuris civilis regulas pacta conuenta rata non habentur. & Papinianus: Ius publicum priuatorum pactis mutari non potest. l. 28. & lex 38. ff. de pactis.

Igitur, siue maioratus fiat in testamento, siue in contractu, nulla clausula in eo adiici potest contra iura & leges, neq. cōtra principis maiestatem, potestare, & eminentiam,

ergo

ergo neque clausulam illam in maioratu priuatus homo poterit, qua veter, ne bona sua propter crimina successorum, qui domini & possessores corū sint, confiscetur.

DIXERIT fortasse quispiam: Tibi incumbit onus probandi, clausulam istam esse contra leges, aut cōtra principes, quod nondum probasti. fateor, sed probatio in prōptu est, nam plurimis legibus iustissimis pœna confiscationis sancta est aduersus eos, qui læse diuinæ vel humanae maiestatis crimen committunt.

Item ad reges pertinent multarum, pecuniarumque compendia, & bona damnatorum & proscriptorum, & maximè bona committentium crimen maiestatis. atque hæc propriè dicuntur esse regalia, libro feudorum, tit. 56.

Igitur clausula suprascripta, prohibens, ne bona cōmittentium tria illa maxima crimina confiscentur, contra leges est, & contra reges quoque: neque magis ab homine priuato id statui potest, quam cetera omnia, quæ contra leges & contra eminentias principum essent.

Quod si quis in testamento, vel contractu diceret, se prohibere, ne rex hospitet in oppi-

oppido, quod iure maioratus relinquit, aut ne ibidem cudad monetam, aut leges codat, aut reos puniat, & alia eiusmodi; quis talia non irridet, ac non magna punitione digna esse censeret?

Si autem acte mentis clausulam istam despiciamus, quid aliud est prohibere, ne bona perduellis confiscentur, quam legibus bona ex parte illius soluere, & legem imponere regibus, ne bona illa publicare queat; ac demum efficere, ut maxima crimina non ea quae expedit reipublicæ seueritate puniantur?

Julius Paulus air, pactum illud continere turpem caussam, & obseruandum non esse, si quis paciscatur, ne furti agat, vel iniuriarum: quia expedit timere furti, vel iniuriarum poenam. I. si unus. §. pacta. ff. de pactis.

Quod si ea pactio, de remittenda accusacione priuatorum criminum, turpis habetur, & seruanda non est, quia expedit timere furti & iniuriarum poenam; quanto turpior iure quam optimo videri potest clausula iam ante relata? & quanto magis expedit reipublicæ, vt pena laesa maiestatis ab omnibus timeatur?

Neque obstat, quod pena corporis & honoris coerceri poterit perduellis; quia multo magis timeri solet pena confiscactionis, praesertim cum ultra ceteras penas ea quoque sancta sit

Nemo

Nemo quidem est, qui non speret fugiendo, aut latitando, se corporis poenam vitare posse; & quid saluis infamia nummis? bonorum vero publicationem omnes homines, maximè diuites, vehementer formidare solent. atq. vt ait Tryphonius, male meritius publicè, vt exemplo aliis ad deterrenda maleficia sit, etiam egestate laborare debet. I. bona fides. ff. depositi.

Cum olim locupletes eo facilius scelere se obligarent, quod integris patrimonii exulabant, parricidas (vt Cicero scribit) bonis omnibus, reliquos dimidia parte mulierunt. Auctor Suetonius in Julio Cæsare cap. 42.

Quod si licitum esse crederetur, ista clausula vt iuror eam non usurparunt veteres illi Romani, qui nullis laboribus, nullis sumptibus, nullis vitae periculis pepercérunt, vt sui memoriam posteritati relinquenter? multo quidem facilius perpetuata consulerent, vetando, ne domus & fundi, & reliqua bona sua confiscarentur, sed in aeternum suo nomine conseruarentur, quam ædificando sepulchra ingentia, aut morte etiam pro republica opperendo. nusquam vero inueniatur talis clausula memoria, quamvis historicorum & iurisconsultorum scripta omnia attento animo perspiciantur.

SE D utrum regiis legibus eadem clausula vti licebit? ex supra scriptis omnibus, aliisq. multis perspicuum esse poteſt, id nulla regia lege licere. cum enim ista clausula sit contra leges omnes, contra principes & cetera rem publicam, vt iam ante probauit; regiae leges quae iustissimae sunt, nulla generalitate verborum talia permisisse, interpretari debent, aut possunt.

Est vero clausula ista (vt mihi quidem videtur) contra reuerentiam & obleruantiam regibus debitam; & contra leges & bonum publicum, atque adeo audax, temeraria, & (ne quid durius dicam) iniusta & iniqua. itaque nullus veterum Hispanorum ea vnguam vslus est: sed nostris temporibus excogitata videtur esse, nescio quam recte.

Cum autem diiores totius Hispaniae hi sint, qui maioratus possident, & quorum scelera multo magis, quam aliorum, religioni, regibus & reipublicae nocere possunt; expedit plurimum, vt ipsi magis quam ceteri, a criminis laesa diuinæ & humanæ maiestatis deterrantur.

Etenim cum potissima ferè cauſa poenarum ea sit, vt homines à facinoribus perpetrandis formidine deterrentur; nulla alia

magis

magis acerba, nec quæ anxiore afficiat tristitia, pena est, quam cum quis cernit ob sua ipsius male acta filios suos affligi, & paupertatem & infamiam, aliaque incommoda pati. quæ res multos à sceleribus auerat. sublata vero pena cōfiscationis, filij primogeniti hæreticorum & perduellium in parentum maioratus succedent, & non infames vulgo, sed venerabiles erunt.

Eleganter Cicero ad Brutum quadam in epistola scribit. Nec vero ine fugit, quam sic acerbum, parentum scelera filiorum poenis lui; sed hoc præclarè regibus comparatum est, vt charitas liberorum amiciores parentes reipublicæ redderet. que quidem cauſa, vel sola efficere debet, vt maioratus propter crimina supascripta tinnuendo confiscari debeant, claululis quibuscumque nihil obstantibus.

NEC mitum videri debet, quod assueverint, non licere homini priuato illa clausula vti, quæ nec ab ipso rege iuste inseri potest, nec si ab eo fuerit improbè extorta, ullam vim habet, neque seruanda est. vt rectissime tradit Franciscus Galindus, in sua disputacione regia cap. 18.

Nam (vt iam ante ostendimus) clausula ista turpitudinem continet, & contraria est iustitia.

iustitiae, atque reipublicae; & sanctissima lex est quae ait: Omnes iudices monemus, ut nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram adnotationem, quae generali iuri, vel utilitati publicae aduersa esse videatur, in disceptationem cuiuslibet litigij patientur proferri; sed generales sacras constitutiones modis omnibus non dubitate obseruandas. l. omnes. C. si contra ius vel utilitatem publicam.

Alia quoq. lex inquit: Nec dannosif fisco, nec iuri contraria postulari oportet. & item alia: Rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutari praeceperimus. l. 3. & l. 7. C. de precibus imperatori offerendis.

Quae autem causa, non dicam iusta, sed ne probabilis quidem esse potest, quae regem moueat, ut adimat metum confiscationis bonorum haeretico, aut perduelli? & quae magnam partem poenae, tantis criminibus debitae, impiorum & rebellibus condonet; id que sine delectu, & prius etiam quam delinquat?

Perniciosum quidem reipublicae, atque iniustissimum est, impunitatem cuiquam concedere haeresis aut perduellio, antequam commitrat ea crimina, ac multo id magis, si concederetur multis: per clausulam vero istam pars magna poenae criminis nondum commissi condonaretur. & eadem ratio

ratio est partis, quae totius. igitur princeps, qui nihil malum potest, cam clausulam adiicere nequit. ad malum enim non est protestata. l. si vnu. §. illud. ff. de pactis. l. quae de tota, de rei vendicatione.

In ceteris vero criminibus, quae non sunt tam perniciosa reipublicae, & quorum poena non expedit, ut usque adeo timeantur, potest princeps, potestatis sua plenitudine utens, remittere partem illam confiscationis, sicut quotidiane facit in facultate, quam praestat ad consciendos maioratus: sed homo priuatus id facere nequit. l. conditiones. 14. ff. de conditio. institu.

Ex quibus omnibus perspicuum est, multa corruere, quae in hac re praeter ius & leges, ex regulis tantum generalibus sine delectu asseruntur. ac primum illud, quod communiter dici solet, utilius esse, ut maioratus fiant absq. concessu principis, quam eius decreto: quia putant, priori casu maioratum liberari posse a confiscaione, etiam in criminibus illis exceptis, posteriori vero non item. Ludouicus Molina lib. 2. de Hispanorum primogeniis, cap. 2.

Quae opinio tantum abest a supra scriptis iuribus & rationibus, quam quae maximè.

C non

non enim potest homo priuatus præseruare majoratum à confiscatione alicuius criminis, quia id contra leges publicas est, multo igitur minus in criminiibus illis exceptis id facere poterit.

Quamobrem decretum principis est utilissimum, quo in cæteris criminiibus pena confiscationis condonari solet. alioqui superflua & ridicula forent verba illa regiae facultatis, quibus conceditur, vt si posse for maioratus inciderit in alia crimina, propter que sua bona vel eorum pars confiscari debeant, nihilominus propter illud præuilegium non publicentur. quod quidem maximi momenti est: quia nisi princeps illud concederet, confiscari posset maioratus propter alia multa atrocia crimina; vt ex iam autè dictis sat superque constat.

Secundò, corruit illa differentia, quæ à nonnullis fieri solet, vt maioratus conficeretur, quando in decreto regis excepti sunt tres illi casus; aliud vero sit, cùm fuerunt omitti, nam etiam eo casu pro expressis habendi sunt, propter stylū solitum; & quamvis consultò fuerint prætermitti; quin etiam si expressè concessum sit, vt neque propter eadem crimina confiseretur, nihilominus confiscari potest maioratus; quia clausula illa iniusta pro non scripta est habenda.

Tertiò, quæstio illa inutilis prorsus essetur,

eritur, vtrum in dubio præsumendum sit, maioratum fuisse factum ex regulis generalibus juris communis, an ex decreto regio? niti fortè de hoc ageretur, vt maioratus non confiseretur propter alia crimina; quo casu longè utilius esset præsumere, fuisse factum decreto principis. nam in criminiibus exceptis utroq. casu maioratus publicaretur.

Quartò, ex eisdem cauiss corruit alia differentia, à quibusdam excogitata inter maioratum, qui sit in testamento, & illum qui sit in contractu: quia non est maior potest priuati hominis ad confiscationem prohibendam in contractu, quam in testamento.

Quintò, illa quoque differentia tollitur, quod domus maioratus diripi possit, quando non fuit clausus cum clausulis excludentibus cōfiscationem; secus verò extantibus illis clausulis: quia nulla clausula excogitari potest, quæ publicationem impedit.

Sed in inuentionem illam dispiciamus, quam utilissimam esse multi putant; qui siunt, hiscum clausula ista excludi posse: Si successor maioratus commiserit crimen læsa maiestatis diuinæ vel humanæ, vel Sodomitæ,

domiæ, volo, vt hora præambula delicti, vel cùm delictum committere tentauerit, bona in sequente n successorem pertranscant: ea ratione asserunt id à maioratus institutore licet fieri posse, quia non in fraudem fisci, sed potius ex cauſa conſeruationis familiarum factum esse censendum sit. vide Ludouicum Molinam libro 2. cap. 12. prope finem.

Ego verò ex supraſcriptis exiſtimo, clauſulam iſtam pro non ſcripta habendam eſſe: non ſolum quia contra leges & contra reges & contra rempublicam eſt, liberare hæreticos & perduelles à metu poenæ conſecutionis, vt iam antè luculentē oſtendi; ſed etiam, quia viſque adeò maniſteſt clauſula iſta excogitata eſt in fraudem fisci, vt nulli coniecturæ locus relinquatur.

Nec obſtat, quod propter familiarum conſeruationem ea verba ponantur: quia etiam eo prætextu non licet fraudem fisco face-re, vt expreſſè iuriſconsultus Marcianus docuifile videtur, cùm ait; prohiſionem alienationis in fauorem liberorum, aut posterorum, aut hæredum factam feruandam eſſe, ſed eam fisco fraudi non eſſe.

Quæ verba obſeruat Ripa, refē docens, quod quando conſtaret (vt in proposito conſtat) quod teſtator in fraudem fisci prohiſionem facit, tunc bona etiam alienari pro-

ri prohibita confiſcantur. quod ad clauſulam quoque iſtan applicat ipſe Ludouicus Molina, l. filius famili. §. diui. 2. de legatis 1. & ibi Ripa. nu. 42. & Ludouicus Molina loco ante citato.

Et quamvis ipſe diſtinguat inter maiorum iſtitutum regia facultate, & eum, qui ſine illa factus ſit; attamen, quantum ad fiscum attinet, æquè in vtroque cauſa fraudis ei ſit. ac tam euidentis voluntas & intentionis excludendi fiscum in uno cauſu, quam in altero appetet.

Præterea qua lege vñquam licuit homini priuato, tranferre dominium ab uno in alterum ſolo verbo ſine actu aliquo naturali? traditionibus & vſuaptionibus dominia rerum adquiruntur & tranferuntur, & non nudis verbis, vt pleniū alibi dixi, in iſtitutionibus catholicis, titulo 9. nu. 245.

Legum laiores potestate ſumma vtentes, perrarò ſanciunt, vt dominium in aliquem tranfeat, antequam poſſeſſionem adipiſcatur: priuati verò id nūquam facere queunt. adde quod neque principes ipſi dominium, quod aliquis habet, in alterum domino inuitio aut ignorantie tranferunt: nec mirum, cùm ſit regula iuriſ: id quod noſtrum eſt, ſine facto noſtro ad aliū tranferri non potest.

Postremò, si ipse met, qui maioratum facit, veller fiscum excludere, alienando bona sua paulò antequam crimina ita committat, etiam si possessionem tradiderit, posset nihilominus eadem bona fiscus vendicare: quanto magis cum solo verbo fiscum bonis maioratu fraudare conatur? traditur in l. post contradictum. ff. de donatio.

C A P. XXX.

I L L V D quoque ex suprascriptis planè relinquitur, pragmaticam Vuormatiensem non ius aliquod nouum & speciale introduxisse, sed potius declaratoriam esse iuris communis & regij, factamque fuisse dubitationis tollendæ caussa: & casus in ea relatios, non caussam finalem, sed impulsuam extitisse, eamque non temporariam, sed perpetuam existimandam esse: alioqui pragmatica illa fuisset iniqua, nouam penam imponens criminibus iam perpetratis.

Tum illud consequens est, quod & ipse iam supra notaui, eisdem ex caussis confiscandum esse maioratum, siue regis priuilegio factum fuerit, siue absque illo. Sed ideò nunc repeto, ut addam questionem illam, quam omiseram, vtrum maioratus, qui ex sola temporis antiquitate probatur,

consea-

censendus sit esse institutus ex regio decreto, an potius ex legum regiarum dispositione.

Neque prorsus erit quæstio inutilis, siue quis putet utilius esse, vt maioratus instituatur absque beneficio principis, siue ex illo: quod mihi magis placet, propter confiscationes vitadas, in quas propter alia crimina, præter tria illa excepta, facinorosi homines frequenter solent incurtere.

Ludouicus Molina de hac re differens, ait, utilius esse possidenti maioratum, vt siue regia facultate factus fuisse censeatur; & ideò ex iure communi, aut ex regiis legibus potius quam priuilegio principis institutus esse, interpretandus est. item quia facta non presumuntur; & quia, quæ fieri possunt sine consensu alterius, presumenda in dubio sunt, esse absque illo facta. postremò, quia utilius est, possidere maioratum ex immemoriali prescriptione, quam ex priuilegio. & alibi scribit, rationes, quas ego pro contraria parte protuleram, facilè diluvi posse. Hæc ille lib. 2. cap. 2. & lib. 4. cap. viii. prope finem.

Cum hanc questionem ipse tractarem, dixi, antiqua illa primogenita, quorum origo antiquior est memoria hominum & illam excedit, à regio beneficio plerunque manasse; siquidem ante Taurinas leges ne-

mo ferè putabat, maioratus fieri posse sine decreto regis, quinimo eo præcedente, nihilominus à rege confirmari postea solebat: quamobrem probationem immemorabilis initij potius referendam esse ad regia decreta, quād ad alios modos, quibus maioratus fieri potuisse putant. Hæc in meis institutionibus catholicis, titu. 9. nu. 244.

Quæ omnia mihi nunc magis placent, quia existimo, antiquis illis temporibus maioratum fieri non potuisse absque decreto principis, tum quia multa continentur in quolibet maioratu contra ius commune; tum etiam, quia nullus inuenitur maioratus antiquus (quod ego sciam) qui ex beneficio regio factus non sit. postremò, quia ante leges Taurinas (quæ postea latæ sunt) non erat lex aliqua regia, quæ permetteret aut concederet cuilibet homini priuato facere maioratum. quin etiam ipse Ludouicus Molina bis recte facetur, nomen maioratus esse nouum: quod magno arguento est, olim in vsu non fuisse. vide illum in procemio, & in primo libro, cap. 2.

Neque obstant argumenta contraria: quia nihil refert (quantum attinet ad tria illa crimina excepta) vtrum factus sit maioratus ex decreto principis, vel ex alio iure, (si modò iure alio id olim facere licuit) quantum autem ad vitandam confiscationem

nem propter cetera crimina, vitilissimum est successoris, vt ex decreto principis factus esse censeatur: vt iam antè probauit.

Facta verò præsumuntur ex immemorabili tempore: & quia consensus principis tunc erat necessarius, ille quoque præsumitur. quod si utilitas possidentis consideranda etiam est, iterum aio, longè illi esse utilius, possidere maioratum ex priuilegio principis, quād ex præscriptione immemorabili. itaque puto argumenta mea non facilè posse dissolui.

S V P E R E S T , vt summatim ea omnia resumam, quibus meam sententiam (de confiscactione maioratum) non solum probabilem, sed veram quoque esse existimem. ac primò quidem plenissimè iam antè probauit, neque iure communi, neque legibus regiis, licitum esse homini priuato vetare, ne bona maioratus propter crimina successoris, (qui verè dominus eorum est) confiscari queant. cap. 24. cum seq.

Secundò, quia leges pontificum, imperatorum & regum, quæ propter atrocia crimina confiscactionis: poenam imponunt, nusquam bona maioratus excipiunt. neque leges, quæ de fideicommissis loquuntur,

ad maioratum trahi possunt: vt iam plau-
num feci, suprà cap. 5.

Tertiò, quia neque reges ipsi, qui leges
condunt, adiecere possunt clausulam il-
lam, vt ne maioratus propter crimina gra-
uissima confiscentur: igitur neque ab ho-
mione priuato, neque ab aliqualege id pro-
hiberi poterit; quemadmodum antè pro-
bauit, cap. 27.

Quartò, quia si regnum, quod verè
maioratus est, quinimo, quod iure quo-
dam gentium ad publicam omnium utili-
tatem est norma & exemplar maioratum,
vt libro primo de primogenitis Hispaniæ,
cap. 15. probauit: si regnum (inquam)
propter heresim in prorsus extrancos trans-
fertur, ratione fortiori ceteri maioratus
publicari possunt propter crimina læse di-
uinæ vel humanae maiestatis. vicle quæ su-
prà scripsi cap. 17.

Quintò, si feudum etiam antiquum con-
fiscatur propter crimen commissum con-
tra directum dominum feudi; multo igitur
magis publicandus est maioratus pro-
pter crimen læse maiestatis: sicuti pleniùs
disputauit in meis catholicis institutioni-
bus, tit. 9. nu. 231. & suprà cap. 17.

Sextò, quia si multis ex cauiss bona ma-
ioratus alienari possunt ab eorum domino
& possessore, etiam repugnante dispositio-
ne eius

ne eius qui maioratum instituit; multo
rectius fiscus maioratum vendicare poterit
propter tria crimina sèpè memorata cuiuslibet
successoris. sicuti iam ostendi in institu-
tionibus, nu. 235. & suprà cap. 15.

Septimò, quia in decretis regum, qui-
bus datur facultas instituendi maioratum,
semper excipiuntur tria illa crimina, quam-
uis detur priuilegium, vt propter cetera
crimina non confiscentur; ergo nec priu-
atus homo efficere potest, vt etiam in istis
criminibus confisicationis poena locum non
habeat; neque leges generales, quæ con-
cedunt, vt maioratus fieri possint, adiecitis
quibuslibet clausulis, permittere videntur,
vt crimina illa non excipientur. quia (vt
habet regula iuris) in generali concessione
non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter
in specie concessurus. adde quæ scri-
psi in institutionibus, nu. 237.

O C T A V O, si priuatis hominibus per-
mitteretur, vt excogitarent clausulas, qui-
bus fiscus in perpetuum excluderetur à
confisicatione bonorum; facilè fieri posset,
vt princeps amitteret ius illud regale con-
fiscandi bona hæreticorum & perduellium;

id verò esset vehementer absurdum , ergo & illud ex quo sequitur.

Nono, è repubica est , vt filij hæreticorum & perduellium egestate laborent ; & leges ciuiles ac pontificiæ infames eos esse volunt : igitur succedere nequeunt in maioratus , quos eorum parentes habuerunt , præsertim cùm duces erant , marchiones aut comites , vel alias dignitates habebant maioribus ipsis coniunctas . adde , quòd maioratus ipsi , si locupletes sint , dignitatem quandam habere videntur , cùm sint familiarum ornamenta . iure igitur fiscus filios infames excludit , ne sint familiarum dederus & ignominia . vide quæ scripsi in institutionibus , nu. 239 .

Decimo , si bona maioratus negligentia successoris præscribi possunt ; multo magis propter enormia eius crima cōfiscantur . tam enim pereūt præscriptione , quam confisicatione . quod autem vñcapi possint , breuiter ostendimus lib. 4. de primogenitis Hispaniæ , cap. 22. pleniū Ludouicus Molina libro 4. cap. 10.

Vndecimo , princeps potest concedere facultatem alienâdi bona maioratus , etiam si is qui illum instituit exprefse veruerit , ne alienarentur petita licentia à principe . igitur à fortiori propter maxima illa crimina , etiam si id prohibuerit factio maioratus , confisca-

confisci possunt ex iisdem rationibus , quas Ludouicus Molina scribit libro 4. cap. 3. nu. 28. & nu. 36.

Postremò , cùm successor maioratus verè sit eius dominus , vt iam planū feci ; si criminis illa committat , iustè maioratus publicatur . quòd autē verè dominus sit , probauit in institutionibus titu. 9. nu. 232. & Ludouicus Molina mecum sentit , lib. 1. cap. 19.

Nec obstat consequentiæ , quòd dominium illud videatur esse restrictum ad vitam successoris ; quia restrictio illa impediens nequit confisicationem ; sicuti supra probauit , cap. 13.

Adde , quòd is qui vocatus est ad maioratum post vitam possessoris , qui deliquit , nullum ius habet ad maioratum , nisi ex eo tempore , quo dies vocationis suę cesserit ; vt recte tradit ipse Ludouicus Molina : cōfiscatio verò fit ante quam dies vocationis cedat , igitur iustè fit . vide illum libro 2. cap. 12. nu. 30. & libro 3. cap. vltimo , à numero 10. deinceps .

Tum illud addo , quòd portio legitima est filii debita lege quadam naturali ; & filij dicuntur esse quasi domini bonorum patris , etiam eo viuente : nihilominus verò si pater crimen aliquod illorum trium commititat , eius bona confiscantur , filii prorsus

C 7 exclusis.

62 LIB. DISCEPTAT.
exclusis. l. quisquis. C. ad legem Iuliam
maiestatis. c. vergentis. de heretici.

C A P . XXXIII.

S E D fortasse dixerit quispiam, esto,
publicentur maioratus propter crimen læ-
fæ diuinæ vel humanæ maiestatis: cur etiam
publicantur propter nefandum crimen,
quod apud nationes aliquas pro nihilo re-
putatur? dolendum quidem est, quod in-
ter Christianos visquam tantum scelus im-
punitè committatur; nec scio, qualem Deo-
rationem reddituri sunt principes atque iu-
dices, qui male dissimulantes, impunitum
illud esse finunt. verum est enim (pro do-
lor) quod apud nationes quasdam abomi-
natio ista non punitur; quinimo, ut ciuis
meus Seneca libro tertio de beneficiis scri-
ptum reliquit; Pudorem tollit multitudo
peccantium, & desinit esse propri loco com-
mune delictum. nam & magna atque hor-
renda peccata, cum in consuetudinem ve-
nerint, aut parua, aut nulla esse creduntur;
auctore diuo August. in Enchiridio, ca. 80.

Ne igitur Hispania nostra tam abomi-
nando scelere contaminetur, acerbissima
pœna cinxædi & paedicatores puniuntur: qui
quidem si millies mori possent, millies oc-
cidendi essent. Nam, vt Iustinianus ait, per
sanctas scripturas edocemur, quod ob tam
impia

C A P . XXXIII.

63
impia facinora etiam vrbes vnæ cum homi-
nibus perierint. & post aliqua: Propter hu-
iusmodi enim delicta & famæ & terræmo-
tus & pestilentia oboriuntur, nouella con-
stitutione 77.

Vnde ad Lot iustum, & ab infandis So-
domitarum stupris abhorrente, sic angeli
locuti sunt: Delebimus locum istum, eo
quod increuerit clamor eorum coram Do-
mino, qui misit nos, vt perdamus illos. igi-
tur Dominus pluit super Sodomam &
Gomorrah sulfur & ignem à Domino de
caelo, & subuertit ciuitates has, & omnem
circa regionem. Gen. 19.

Peccatum hoc aliqui vocant mutum, eo
quod sic offendat aures honestas, vt de illo
ne loqui quidē fas sit. Hispani appellamus
illud nefandum, eo quod non est fandum,
nec fari de eo licet. clamat enim in celum
huius sceleris magnitudo, horrorgaque con-
cutit naturam, & stupere facit circum-
stantes parietes, saxa, aërem, solem, vin-
cens turpitudine omnem immunditiam,
scelere omnem iniquitatem. vt rectissime
scriptis celebris ille Theologus Franciscus
Sonnius libro demonstrationum tertio, tra-
ctatu. 7. cap. 6.

Vt autem in Hispania eadem pœna isti
afficiantur, qua pertinaces heretici puniun-
tur, non solum criminis magnitudo, sed
quædam

quædam etiam connexio efficit. nam sicuti reculit ibidem Franciscus Sonnius , recte putat quidam celeberrimus ac vetustus auctor , hominem eò insaniæ non posse derelinqui à Deo , nisi prius in perfidia & insipientia cordis sui ita apostatare cœperit à Deo , vt sic sentiat , sicque viuat , quasi non sit Deus . vbi perfidia , vbi apostasia , vbi idolatria , ibi regnare solet hoc scelus ; & quo gens longius aberrauerit à Deo , eo magis huic nefando malo inuoluitur .

Quod videtur colligi posse ex verbis dicti Pauli in epistola ad Romanos , capite 2. vbi de idololatria loquens , inquit : Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam , vt contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis . & paulò post : Propterea tradidit illos Deus in passiones ignominiae . Et sicut non probauerunt Deum habere in notitia , tradidit illos Deus in reprobum sensum , vt faciant ea , quæ non conueniunt . & cætera .

Quæ verba explicans diuus Chrysostomus , inquit : Hoc loco Paulus ostendit , quod & leges naturæ per impietatem , tanquam causam efficientem , peruertantur . & rufus : Vide quo modo ad fontem huius mali redeat , impietatem videlicet dogmatum : ostendens , turpitudinem hanc esse illius

se illius iniquitatis præmium . Hæc ille sermone 3. & 4.

Quanto igitur Hispania purior est ab heresisbus , quam aliae nationes ; tanto magis nefandum crimen odit , & seuerissimè punit . quod cum fieri non posset contra clericos & monachos , si forte eo scelere contaminati reperirentur , propterea , quod pœna illis iure pontificio imposta , leuisissima sit ; impetravi ego & extorsi à Pio quinto pontifice maximo , vt qui fuerint de crimine illo conuicti , regradati ab episcopo , relinquerentur curia seculari . extorsi (inquam) quia duabus petitionibus nihil profeci , donec tertia instanter ex libello ei oblata id quod flagitabam adeptus fui . edidit itaque decretum iustissimum , & Hispaniæ iam diu desideratum ; quod haud ita multo post in quandam clericum Tarraconem ad effectum perductum est .

Postremò , prætercunda non sunt , quæ Arnoldus Ferronus , iurisconsultus & historicus celebris , libro septimo de rebus gestis Gallorum , his ipsis verbis scripta reliquit : Rex Pisconum ingressus , visus est quiddam flagitare à Borbonio & Lanoio : recipientibusque illis , futurum vt acciperet ; alia cum exspectarent , petiit , ne pueros Gallicos , qui capti erant , italicus miles attractaret . si quos cepisset , Hispano-

66 LIB.DISCEPTAT.CAP.XXXIII.
no redderet, permutatis captiuis : atque id
petuit pudicitia eorum consuleus . id li-
bentissime Borbonius Lanctiusque conce-
fere. mox toris castris per tubicines edicto
proposito plus quam sexcenti adolescentes
liberali egregiaque forma Hispanis redditi :
quorum pudi citiam deplorata, si apud
Italos mansisset, omnes fatebantur. Ha-
bitenus ille . Honorificum quidem regis
Christianissimi testimonium de milibibus
Hispanis , etiam gregariis , & eo tempora
accerrimis inimicis.

FINIS.



H u n c librum Disceptationum de-
primogenitis Hispanie à Reverendissi-
mo Episcopo Pacensi compositum , à
me perfectum , testor nihil habere quo d
catholicae fidei sanctitatem offendit , &
suo in argumento & disertum esse . &
vitalem legentibus fore censeo. Antuer-
piæ pridie festi Conuersionis d. Pauli,

1575.

B. Arias Montanus.

A handwritten signature in black ink, appearing to read "B. Arias Montanus".

ANTVERPIAE EXCVDEBAT
CHRISTOPHORVS PLANTINVS,
REGIVS ARCHITYPGRAPHVS,
ANNO DOMINI M. D. LXXV.
X. KAL. APRIL.